[illegible] f. 1704-89

CONSPECTVS
STATVS ECCLESIASTICI
ISLANDIAE

VNA CVM
DESIGNATIONE ECCLESIARVM
ET VERBI MINISTRORVM
IN IIS
INEVNTE ANNO ECCLESIASTICO
M. DCC. LXXVII, D. XXX NOVEMB.
CONSTITVTORVM
A
VIRO DOCTISSIMO
IN ISLANDIA
CONCINNATVS.

EDIDIT
ET PRAEFATVS EST

CHRISTIAN. WILHELM.
SCHNEIDERVS
SER. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC.
IN SVPREMO CONSISTORIO ECCLES. CONSILIARIVS.

VINARIAE
SVMT. CAR. LVDOLF. HOFFMANNI
M. DCC. LXXVIIII.

Lectori S.

Quam luci publicae expono, Descriptionem succinctam status ecclesiastici Islandiae, rerum coetus euangelico-Lutherani in exteris et dissitis regionibus cupidis, haud ingratam fore, eo magis confido, quo pauciores et rariores, in nostris praesertim oris, libri sunt, ex quibus notitia earum rerum, quae in Islandia, Insula in extremis fere septentrionis angulis iacente, hauriri, quaeque sit ecclesiae Islandicae hodierna facies certo cognosci possit. Non quidem desunt *plane scriptores, etiam inter nostrates, qui de Islandia commentati sunt; inter quos Summe Vener.* BVSCHINGIVM, *de omni historiarum et geographiae studio immortaliter premeritum et adhuc promerentem, suo iure omnibus commendandum existimo* *); *sed qui de rebus hodiernorum Islandorum sacris egerit, habemus fere neminem. Quae me, nouissime in ecclesia acta, quanto fieri potest studio, conquirentem, mouerunt, vt Virum meritorum gloria cumulatissimum, Summe Vener. Episcopum Skalholtinum in Islandia*, FINNVM IOHANNEVM *adirem*,

*) Vide accuratissimam et elegantissimam S. V. BVSCHINGII Islandiae descriptionem *in der neuen Erdbeschreibung, I. Theil der siebenten rechtmaessigen Auflage*, p. 367. seqq.

rem, ab eoque, qui praestantissimis de HISTORIA ECCLESIASTICA ISLANDIAE *Commentariis paucis abhinc annis Havniae editis, quanta Islandicarum rerum notitia polleret, demonstrauit, id impetrare studerem, vt aliquam rei sacrae Islandorum notitiam mihi suppeditaret. Adnuit grauissimus Praesul Skalholtinus meis votis, et* CONSPECTVM ECCLESIAE ISLANDICAE *hodiernae ad me, quod gratissima mente agnosco, transmisit, meae exspectationi in omnibus, siue ordinem rerum, siue cum breuitate concinnitatem spectes, respondentem, quem Actis historico - ecclesiasticis nostri temporis* *), *quae me moderante in publicum prodeunt, inserendum curaui. Quum vero non pauci sint, quibus magis arrideat, seorsim hanc Islandiae ecclesiasticae Descriptionem sibi comparare; eorum et bibliopolae voluntas me induxit, vt illam separatim prelo committerem. Paucula, quas addendas putaui, notas, maximam partem hausi ex clarissimi* HALFDANI EINARI, *Rectoris Scholae cathedralis Holensis Sciagraphia Historiae litterariae Islandicae, sumtibus societatis typographicae, Havniae, 1777. in 8. edita, libro elegantissimo. Vtere bis mecum et vale. Dabam Vinariae d. XII. Januar. M. DCC. LXXVIII.*

*) Vide *Acta hist. eccl. nostri temp.* Partic. XXXIV.

CHRISTIAN. WILHELM. SCHNEIDER.

Conſpectus Eccleſiae

I S L A N D I C A E

ſeu

ſtatus eccleſiaſtici Islandiae

breuis deſcriptio

vna cum

Deſignatione Eccleſiarum et verbi

Miniſtrorum

in iis ineunte anno eccleſiaſtico 1777, d. 30. Nov. conſtitutorum.

§. 1.

Statum eccleſiae Islandicae exacte noſcendi cupidus eundem perinde ac aliarum ſocietatum ac coetuum, maiorum pariter ac minorum, vt *Externum* ac *Internum* conſiderare debet. Per exteriora hic intelligi volumus, regimen ciuile, politicum, oeconomicum et quicquid ad talia pertinet, de quo hic multa loqui neceſſum non ducimus, cum Islandi iisdem fere, aut valde ſimilibus vtantur legibus, ac alii Auguſtiſſimi Daniae ac Norve-

A giae

giae Monarchae subditi, praeter pauca quaedam, quae ob regionis situm, et climatis, cui subiecta est, naturam, singularia, ac sibi propria habet, quae hic speciatim enumerare nec opus est, nec animus; ea autem nobis in hoc compendio, quae ad huius ecclesiae statum et regimen proprie pertinent, attingenda putamus.

§. 2. Vt itaque ecclesia Islandica particula est et membrum ecclesiae Dano-Norvegicae, ita perinde ac illa *Regem Daniae*, qui absoluto et liberrimo in omnes suos subditos omnesque eorum facultates gaudet imperio, supremum ac vnicum sub coelo dominum et visibile caput agnoscit: hic enim solus leges ecclesiasticas figendi ac refigendi, caerimonias praescribendi, ritusque ordinandi ac abrogandi, ministros ecclesiae constituendi et (vt verbo dicam) omnia summo in terris imperanti a supremo numine concessa maiestatis iura, exercendi, potestatem habet, quam inter inferioris ordinis magistratus ac ministros, ita diuisit, vt mox dicemus.

§. 3. Prima et ab ipso Monarcha proxima societas aliquid in ecclesiam Islandicam iuris aut imperii concessum habens, aut sibi sumens, est *Generale ecclesiarum Dano-Norvegicarum Inspectionis Collegium, a Christiano* sexto (glor. memor.) circa annum 1737, occasione motuum Pietisticorum, et separatismi, qui tum temporis maiorem in modum Daniam vexabat, primo institutum. Huius est cauere, ne haere-

haereses et Schismata in ecclesiam irrepant, aut si irrepserint, vt quam minimo negotio suffocentur ac eliminentur, et vt episcopi digne suo fungantur officio, videre (quorum singulariter ac praecipue est, vt inferiorum ecclesiae ordinum inspectores agant); vnde patet, huius collegii officium in eo praesertim consistere, vt prouideat, ne res ecclesiastica, ex coelestis doctrinae adulteratione, aut ministrorum proteruia et lasciuia vllum capiat detrimentum. Conf. *Eius Instit.* datam 1. Octobr. 1737 (*).

§. 4. Ordinarius autem et post regem primus ecclesiae Islandicae magistratus est *Satrapa regius* vulgo Stifftamtmann, (dioeceseos praefectus) vocatus, qualem gerens magistratum singulis totius regni dioecesibus, vna persona praeposita est, sola excepta Islandia, cuius Satrapa vtramque insulae dioecesin sibi subiectam habet. Huius est, vna cum epi-

 scopo

(*) Hanc *Institutionem regiam generalis inspectionis ecclesiarum Collegii* germanico idiomate publici iuris fecit, qui in praesentia supremo huic Tribunali sacro summa cum laude praeest, summe vener. *Lud. Harboe*, Episcopus Seelandiae, *in der Daenischen Bibliothek*, *II Stück*, p. 496 seqq. Membra huius Collegii hodie sunt: laudatus *Lud. Harboe*, Episcopus Seelandiae et regis a Confessionibus; illustr. *Ericus Ioannes Iessen*, regis Daniae a Consiliis Status, et summe reuer. *Fridericus Quist*, primarius in aula inter Danos sacrorum interpres Hayniae. *Editor.*

scopo in Consistoriis et Conciliis praesidere, causas ecclesiasticas, politicas et morales grauiores decidere, leuiores vero et mere ecclesiasticae seu quae priuatim fiunt, et politiae nihil damni et ecclesiae parum scandali creant, solius Episcopi nutu transiguntur. Hicce stipendia et praebendas ecclesiasticas in personas bene de publico meritas, et episcopi testimonio ornatas, regis nomine confert; tandemque vna cum episcopo, personarum et rerum ecclesiasticarum tutorem et inspectorem agit. Antea hic magistratus viris summae nobilitatis et magnae in aula auctoritatis ac gratiae demandatus fuit, qui raro in Islandiam venerunt, sed negotia per Vicarios peragere solebant; iam vero ab anno Scil. 1770 tali officio fungens, lares in Islandia fixos habere tenetur.

§. 5. Satrapae proximus eique a latere collocatus est *Episcopus*: nam, vt cum eo in rebus mox numeratis diuisum habet imperium, et communem curam, ita in rebus mere spiritualibus et ecclesiasticis, solus Episcopus sine satrapae auxilio et interuentu ecclesiae curam gerere debet, quales sunt pura et infucata verbi diuini praedicatio, sacramentorum ad normam ab ipso Christo institutam, debita administratio, rudiorum in doctrina caelesti informatio, disciplinae ecclesiasticae exercitium, casuum conscientiae solutio, rerum et personarum sacrarum, iurium et priuilegiorum inspectio, tutela et id genus alia ad animarum salutem et decorum ecclesiae ordinem

nem

nem pertinentia, quae ſpeciatim enumerare, longum non minus, quam inutile foret et taediolum, cum ipſum Episcopi nomen et vocula, omnibus ſat nota, id indicet, et in ſe contineat, alia autem, ſtatui tam eccleſiaſtico quam politico, neceſſaria quidem et vtilia, ſed minoris notae, ad eius officium vi regiorum mandatorum pertinentia, ex *Hiſt. eccl. Island.* Tom. III. p. 85. peti poſſunt, quo curioſum lectorem ablegamus.

§. 6. Cum in Islandia *duae* ſint *dioeceſes Skalholtina* ſcilicet et *Holana*, quarum *illa*, Auſtralis vocari ſolita, in 120 milliarium longitudinem ſe extendens, tres totius inſulae quartas continet, et quaeuis quartarum tres minores tractus, qui communiter vocantur Syßla, quorum quisque multas numerat Paroecias, manifeſtum eſt Epiſcopum Skalholtinum vicariis et ſubſtitutis indigere, qui in tanta locorum diſtantia et negotiorum multitudine eius vices gerant, quorum itaque pro praeſenti tempore XV. habet, qui communiter Profaſtar, ſeu *Praepoſiti* vocantur. Horum eſt intra ſibi aſſignatos limites, eccleſiae neceſſitatem curare, ſtatum rerum ad Epiſcopum referre, videreque, ne quid illa, ob abſentiam epiſcopi, damni capiat. Munia ſeu officia quae praepoſitus prouincialis habere tenetur, pleraque in *Hiſt. eccleſ. Island.* Tom. III. p. 91. recenſentur, unde ea hic enumerare ſuperſedemus. Altera autem ſeu *Holana dioeceſis*,

vnam tantum Islandiae quadrantem continet, quae sub episcopi Holani auspiciis IV. regitur praepositis, de quibus idem et nihil fere aliud dici potest, quam de Skalholtinis dictum est, quod hic, ne actum agamus, merito omittimus.

§. 7. De *Sacerdotibus Islandiae*, seu ordinariis ecclesiae ministris, etsi multa scribi possent, vix tamen reperio, quid hic de illis notatu dignum adferam, nisi quod illis cum aliarum nationum bene moratis ecclesiae ministris commune est, ministerium scilicet ecclesiae, consistens in verbi diuini praedicatione et sacramentorum administratione, quas officii partes bona plerumque fide et pro virili perficiunt, ordinarie in templis, extra ordinem autem et iubente necessitate in aedibus priuatis. Viuunt plerumqne sobrie et parce, vtpote tenui valde beati mercede, cum ex 130. quos habet dioecesis Skalholtina Parochis plus quam 30. annui salarii loco ne 20. quidem imperiales habeant, et ex tanto numero vix quatuor 100. Ioachimicos capiant, cuius summae quarta fere pars mox sub variis pensionum et tributorum nominibus eroganda est. Angustiam vero rei familiaris non parum auget laboris grauitas, cum non paucae paroeciae in multa milliaria extendantur, quae tempore hyemali ob ingruentem haud raro niuis magnitudinem, per montes, tesqua et rupium abrupta ad peragendas visitationes domesticas, aliaque commisso gregi officia praestandum, pedibus

eme-

emetiri aut perrepere neceffum habeant. Horum in Islandia quatuor dantur claffes, quarum primam efficiunt *Praepositi*, qui nihil aliud funt quam doctiffimi et praeftantiffimi cuiusque prouinciae facerdotes, vnde illis in reliquos cura et infpectio committitur, et vtrumque in illis officium coniungitur, quorum hoc tempore in tota Islandia numerus ad XX. circiter fe extendit. Secundam claffem faciunt *ordinarii verbi diuini praecones*, quorum numerus in vniuerfa Islandia ad 192. afcendit. Tertiam conftituunt *Subministri*, qui communiter *Capellani* vocantur, id eft morbo aut fenio confectorum facerdotum vicarii, qui a miniftris ordinariis fuftentantur, et parua faepe mercede merent, quorum numerus in dioecefi Skalholtina noftro tempore vicenarium non excedit. Quartam denique claffem conftituunt *Pastores emeriti*, quorum binae funt fpecies, vna quae tantas fibi comparauit facultates, vt abdicato officio et praebenda, propriis opibus fe fuftentare poffit; altera prorfus egena, quae publice a lautioribus, habentibus praebendas, quotannis collata ftipe viuunt, quae inter eos generalis Synodi opera diuidi folet. Huius (vt jam diximus) conditionis, connumeratis et in vnam redactis fummam omnibus, Islandia iam habet facerdotes circiter 270. Sacerdotum viduis profpectum eft eo modo, vt certum illis in Paroecia affignetur habitaculum, et 8. 10. vel 12. pars an-

nui praebendae prouentus ipsis cedat, quem demortui mariti successor illis erogare debet, si prouentus ad 50. imperiales ascendat. Pauperrimae autem sacerdotum viduae publica stipe, a sacerdotibus, meliores praebendas tenentibus, mulctis Clericorum praeuaricationibus inflictis, et eorum contributione, qui coniugium cum cognatis ineunt, pendenda, sustentantur.

§. 8. Cum solis sacerdotibus difficile et in templis maioribus quam late se extendentibus ac frequentibus paroeciis impossibile sit, cauere, ne quid indecens aut bonis moribus et religioni indignum fiat, imo sicubi accideret, eadem mox scire et inuestigare, vt in tempore priusquam latius serpserit, aut vires postea insuperabiles sumserit eradicari aut emendari possit, legibus non modo concessum, sed seuere mandatum est, vt quiuis sacerdos in paroeciis minoribus duos, in maioribus vero quatuor praestantissimos curiales denominet, et deligat adjutores seu adiunctos, qui tam Danice quam Islandice Medhielpere vocantur, qui rite et adnitente praeposito electi, coram ipso vel etiam verbi ministro iureiurando semet ad fungendum fideliter officio obligare debent, quod officium licet nullo beatum sit salario, nemini validas adhuc vires habenti subterfugere licet. Incumbit his, vt videant, ne quis diebus festis abutatur, nec quicquam inter sacrorum operationes in templis aut circum ea inhone-stum

ſtum committatur, vt non tantum vnacum parocho, in minimis bis quouis anno, ſed etiam ſi opus fuerit ſaepius ſoli per ſe quamuis domum et familiam viſitent, et vna cum eo indagatis malis ac morbis, conuenientem, omni adhibita humanitate ac lenitate, medicinam adferre ſtudeant. Et cum longum foret, omnes eorum vſus et officia in hoc compendio enumerare, earum rerum cupidos, ad fontes, ex quibus peti poſſunt, ablegamus, quae ſunt *Chriſtiani Vti Lex Norvegica* Lib. II. cap. 9. et *Chriſtiani VIti edictum de viſitat. domeſt.* dat. 1746. d. 27. Maii (*).

§. 9. Quam diu eccleſia Islandica catholicae religioni adhaeſit, Diaconatum, vt ſingulare officium, et Diaconos, vt neceſſaria eccleſiae ac ordinis ſacri membra agnouit, vide *Hiſtor. eccleſ. Island.* Tom. I. p. 148. Sed ſimul ac ad Lutheri caſtra tranſiit, hicce ſtatus penitus fuit abrogatus, ſed inſtitutum, vt ad quoduis monaſterium vnus iuuenis rude ſcholaſtica donatus aleretur, vſque dum ſacerdotali munere commode fungi poſſet, quae inſtitutio in dioeceſi Holana recepta fuit et exſecutioni data, ſed non in Skalholtina. Anno autem 1744. iubente *Chriſtiano ſexto* (glor. mem.) non tantum ad quoduis in vtraque dioeceſi monaſterium, ſed etiam ad vtramque cathedram epiſcopalem, omnesque melioris notae praebendas, inſtitutus fuit, talis

A 5 diaco-

(*) Vide etiam *Acta hiſt. eccl, XX. Band*, p. 223.

diaconatus, iniunctumque praebendariis a monasteriorum admodiatoribus, vt tales personas gratis sustentarent, illis autem vt studiis praesertim theologicis sedulo inuigilarent, sacerdoti aliquam officii partem peragenti adessent, visitationes domesticas nunc vna cum ipso, nunc etiam soli, sed eius auspiciis et ipso iubente instituerent, catechisationes iuuentutis, tam publice, quam priuatim exercerent, curarentque, vt verbi auditores in coetibus sacris decenter sese gerant. XV. tales in tota Islandia, VI. nempe in dioecesi Holana, et in Skalholtina IX. hoc edicto instituti fuerunt diaconatus, egregia sane candidatorum SSti ministerii, qui academiam adire nequeunt, exercitiorum palaestra, sed quae iam commutari et imminui incipit, cum horum quinque studiosis theologiae ademti sint, quorum quatuor studiosis medicinae, quintus vero obseruationes astronomicas exercenti adiectus sit.

§. 10. De SStae *theologiae studiosis* et *seminario ecclesiastico*, in quo futuri sacerdotes formantur et informantur, vt hic tria tantum verba dicamus, non abs re esse videtur. Cautum est regio edicto, vt Episcopus quotannis Satrapae regio indicet, quot eorum, qui regio stipendio in scholis fructi sunt, quouis anno rude scholastica donentur, quot annos eo aliti sint, quotum aetatis annum agant, quan-

quantis polleant ingenii donis, et quales se in schola gesserint, quantum fecerint profectum, et ad quodnam studiorum genus inclinare videantur. Horum quamuis haud pauci ad Hauniensem academiam studiorum gratia transeant, perpauci tamen istorum studio theologico ob praebendarum ecclesiasticarum tenuitatem operam dant, vnde pauperrimi extra patriam pedem non mouent, sed intra eam exspectant, vsque dum per mortem sacerdotis cuiusdam vacantis praebendae participes fieri possint. Hi ne crudi, vt ita dicam, et rudes, sacrum affectent docendi munus, regio edicto cautum est, vt quotannis ab Episcopo examinentur, quid in bonis litteris, praesertim vero in notitia scientiarum ad solidam theologiae cognitionem pertinentium, profecerint. Cum vero Islandiae dioeceses, praesertim Skalholtina, tam late se extendant, vt studiosis valde sit difficile, sine magnis impensis Episcopum quouis anno ad exantlandum hocce examen adire, concessum est, vt Episcopus cuiuis praeposito tot obsignatas mittat Schedas, quot in eius prouincia studiosi viuunt, hic autem omnes in sua ditione degentes studiosos, ad certum diem et locum conuocat, vbi ipse duobus stipatus sacerdotibus comparet, et cuiuis studioso suam tradit schedam, quaestiones ab Episcopo ei propositas continentem, quam quisque in praepositi et sacerdotum conspectu resignat, suam-

que

que solutionem aut responsum, nullis praeter solum codicem sacrum adhibitis libris, ad quamuis notat quaestionem, nomenque suum Commentatori subscribit, quo facto praepositus, vnacum secerdotibus, sua subscriptione haec omnia bona fide et ad legis praescriptum processisse testatur, schedamque mox, inspiciente studioso, obsignatam, Episcopo remittit. Omnia haec in eum instituta sunt finem, vt ecclesia nostra semper in promptu habeat iuuenes quosdam, sacerdotali officio non indignos, ac Episcopus etiam de absentibus aequam dicere sententiam, et quemuis pro meritis, cum praebenda quaedam vacauerit, satrapae commendare sciat: eius enim est personas quasdam proponere, et de earum aptitudine ac doctrina testari, illius vero vt codicillos regio nomine edat.

§. 11. Seminarium autem seu fabrica in qua tales personae aptantur et praeparantur a prima iuuentute sunt *Scholae*, quae commode in publicas et priuatas distingui possunt. Priuatas voco parua illa lycea, quae viri litterati praesertim sacerdotes quidam eruditi domi suae instituunt, in quibus tam propriis, quam amicorum et curialium quorundam filiis, discendi aptitudine praeditis, prima bonarum litterarum et artium rudimenta tradunt, eosque ad vberiorem in scholis publicis studiorum maturitatem adipiscendam praeparant,

parant, quorum haud pauci existunt, quidam autem eorum in hoc negotio eo peritiae processerunt, vt iuuentuti omnia quae in scholis publicis docentur et discuntur, tam perfecte instillent, vt iuuenes ex eorum ludis, aut ad academiam transire, aut publica ecclesiae, aut reipublicae munia capessere queant. *Publicae* autem duae tantum in Islandia existunt *scholae*, quae ideo *cathedrales* vocantur, quod ad cathedras seu sedes Episcoporum, sitae sunt, et ex superfluis cathedrarum episcopalium tempore reformationis circa annum 1553. institutae fuerunt. Harum quaeuis duas habet classes, duosque docentes, quorum superior *Rector* vocatur, ipsi enim praeter superioris classis informationem, totius scholae regimen competit, inferior vero *Sub-rector* atque collega insignitur, cui secundae classis institutio commissa est. Vtrique domicilium assignatum est et salarium, vt pro regionis more commode viuere possint. Aluntur publicis impensis in *schola Skalholtina* 19. Alumni, qui integro gaudent stipendio, id est nihil plane ob sustentationem et informationem pendentes, et 8. eius semissim remunerantes, tandemque hic praeter hos alii quidam lautioris fortunae versantur, qui propriis sustentantur facultatibus et suo aere informationem emunt. *Holana schola* cathedralis eodem plane modo instituta est, nisi quod pauciores habeat alumnos, cum vtriusque scholae fundationis renouatio

uatio et correctio sit eadem, a *Christiano VIto* (glor. mem.) anno 1743. d. 3. Maii edita. Durat quotannis exercitium scholasticum ab vltimo die Septembris ad primum mensis Iunii diem, reliquum anni quadrimestre a studiis feriatur, et exercitationibus oeconomicis impenditur, vtpote in Islandia, regione sterili et egena, cuiuis commode victuro valde necessariis. In hac studiorum palestra rudimenta ponuntur

1) Linguarum Danicae, Latinae et Graecae;

2) Notitiae theologiae theticae, catecheticae, moralis et naturalis;

3) Historiae biblicae et ecclesiasticae;

4) Arithmeticae, Geometriae et Geographiae;

5) Philosophiae instrumentalis, moralis et naturalis, prout in fundatione scholarum art. 37. praecipitur. Horum omnium, vt rite procedant, supremum inspectorem agit Episcopus.

§. 12. Licet pauperes et *Nosocomia* non magis ad statum ecclesiasticum quam politicum pertineant, cum tamen Nosocomiorum et pauperum cura statui ecclesiastico et praesertim eorum suprema ephoria Episcopo sit demandata, hic eorum aliquam mentionem facere non absonum videtur. Grassatur in regionibus septen-

ſeptentrioni proximis plusquam alibi terrarum ſcorbutus malignus morbique phlegmatici, cum lepra aliquam cognationem aut analogiam habentes, licet in Islandia (atteſtantibus id Aeſculapii filiis) perpauci aut fere nulli inueniantur, qui reuera leproſi ſunt. In horum gratiam regia munificentia et auctoritate, *quatuor Noſocomia*, vnum nempe in quouis inſulae quadrante, fundata, penſionibus quibusdam a perſonis in gradibus lege generali prohibitis, ſed per ſpecialem gratiam conceſſis, coniugium ineuntibus pendendis, vt et portione piſcaria quotannis a quouis piſcatore ſoluenda ſuſtentantur, reliquis vero pauperibus quarta decimarum pars in alimentum conceditur, et ſi haec non ſufficiunt, vt ſaepe accidit, ſuperfluus numerus a ditiſſimis cuiusuis curiae colonis alendus, auctoritate quinque virorum diſtribuitur. Haec vt rite procedant, praeſertim vero vt orphani, egeſtate preſſi, debitam nanciſcantur educationem et in rebus ad religionem pertinentibus, informationem, ſacerdotibus prouidere iniunctum eſt, ſuprema autem horum omnium cura Epiſcopo incumbit.

§. 13. *Templa* in Islandia, vt plurimum et minora ſunt et vilioris ſtructurae, quam alibi vsquam. Quod parua ſint curialium facit paupertas; eorum autem paucitatem efficit ingens, et tanta villarum ac habitaculorum diſtantia, vt plurium incolae in vno templo commode

mode congregari nequeant: quod autem vilioris structurae sunt, id tam ex incolarum paupertate, quam ex regionis natura deriuandum est, quae syluis ad aedificia exstruenda aptis destituitur; interim tamen pleraque ita constituta sunt, vt cultus diuinus et religionis exercitia in illis sine scandalo et non incommode fieri queant. Haec eorumque ornamenta et instrumenta partim minorum quorundam villularum canonibus, partim autem et vbi illae non adsunt, quarta decimarum parte pensionibus cuiusuis curialis in candelas erogandis, vt et tributi pro mortuorum in coemeterio sepultura pendendi, conseruantur, et cum opus est reficiuntur, quae tutorum seu possessorum fundi, in quo templa sita sunt, administrationi ac curae commissa sunt, qui si officium negligunt, a praeposito primum, vt Episcopi vicario, et neglecta eius admonitione, ab ipso Episcopo officii admonentur, illi enim etiam huius rei cura incumbit. Si vero vltra praescriptum ab eo terminum tergiuersantur, res ad Satrapam regium defertur, qui reum amissionis patronatus iuris poena afficere potest.

§. 14. Ad *externum ecclesiae statum* sine dubio etiam pertinet *Iurisdictio ecclesiastica*, in qua apud nos duo tantum reperiuntur fora, nimirum ecclesiasticum et ciuile. Ad ecclesiasticum pertinent omnes causae et casus personarum ecclesiasticarum vitam, officium et

mores

mores aliquo modo tangentes, idque tam perfecte, vt etiam testes ciuilis status, qui alias numquam ab ordinario suo iudice ac foro, (vulgo Varnarthing) vt alibi testimonium ferant, abstrahendi sunt, exigere liceat. In caussis tamen mere ecclesiasticis, vitam aut officium cuiusdam sacerdotis concernentibus, vt coram praeposito in curia ecclesiastica, modo conuentus ille intra paroeciam habeatur, quisquis laicus testimonium dicat, concessum est, et in talibus caussis, praesertim si ad publicum pertinent, et tota ecclesia quodam modo laesa esse videatur, actio contra sacerdotem non vniuersis parochialibus, nec magistratui politico competit, sed sacerdoti cuidam ab Episcopo demandatur, numquam enim sine Episcopi singulari mandato, actio forensis contra ministros ecclesiae in rebus ecclesiasticis haberi potest, ne incompetentes causae ecclesiae ministris intententur et inutiles controuersiae, quantum fieri potest, vitentur. In hoc foro binae tantum intra Islandiam dantur instantiae, prior coram praeposito loci, qui duobus cadjutus sacerdotibus, de quibusuis caussis ecclesiasticis decisiuam pronuntiat sententiam, qua si altera aut vtraque pars non est contenta, *Synodus dioeceseos generalis* adpellatur, cui ipse insulae Satrapa vnacum Episcopo praesidet, et sententiam secundum plurimorum vota pronuntiat; eadem autem si partes litigantes stare nolunt, ad supremum quod Hauniae habetur

 regis

regis tribunal prouocandum est, quod perraro fit. Quae autem caussae res politicas, ad templa et sacerdotes pertinentes, attingunt, et domos, fundos, eorum fines, syluas, piscationes et talia concernunt, in curia ciuili disceptantur et ab ordinario prouinciae iudice discernuntur.

§. 15. Quid iam supersit, quod ad hanc classem referri possit non habemus, nisi huc pertinere videatur enumeratio magistratuum politicorum, cum eorum officium ecclesiae non parum commodi praestet, quorum nuda nomina et succinctum recensum adjungam.

Primus est ipse *Satrapa regius* de quo §. 4. aliquid egimus. *Secundus* est alter praefectus regius, dictus communiter Amtmann, cuius officium praecipue versatur in eo, ne fundorum ad aerarium regium annui canones, nec vlla alia tributa aut minuantur, aut fiscus regius vllum capiat detrimentum, quod officium raro aut data saltim occasione; res et personas ecclesiasticas tangit. *Tertius* est *Nomotheta*, qui iudiciis in foro generali praesidet, cuius ideo iurisdictioni tam personae quam res ecclesiasticae subiectae sunt, cum de fundis aut rebus ciuilibus controuersiae incidant. *Quartus* est *praetor prouincialis*, qui in prima instantia de talibus rebus ius dicit. *Quintus* et vltimus magistratus sunt *Quinque-viri*; ita dicti, quod quinque cuiusuis curiae melioris

notae coloni reliquis, pari gaudentes potestate praeficiantur; quorum est, omnes res ad publicam curiae oeconomiam pertinentes, ordinare et dirigere, videreque, ne quid reipublicae per cuiusdam coloni villici, aut cuiuscunque tandem, siue inferioris siue superioris status ciuis socordiam, auaritiam, tenacitatem, aut alia eiusmodi farinae, detrimenti inferatur, sed vt omnes curiales ex aequo, quisquis tamen pro virium et facultatum modo, onera ad publicam curiae oeconomiam spectantia portet, et ne hic per singula ire necessum habeamus, vno omnia verbo includamus, dicendo, esse eorum officium tam ecclesiae quam reipublicae, modo debite administretur, summe necessarium, in quibusdam enim cum aedilibus Romanorum, in quibusdam cum eorum censoribus, imo et aliquam cum tribunis plebis analogiam habet.

§. 16. Datis hoc modo *Externis ecclesiae* nostrae lineamentis, ex quibus eius constitutio aliquatenus cognosci potest, ad *Interiora* eius *signa* et criteria nos conuertimus, de quibus omnium orthodoxorum theologorum vna eademque est confessio, scilicet quod pura verbi diuini praedicatio, indubie sit nota et character ecclesiae principalis. Atqui ecclesia Islandica praedicat et publice profitetur verbum dei et caelestem veritatem, prout in libris veteris testamenti et apostolorum scriptis, noui

testamenti libris canonicis, legitur; ergo nemini dubium esse potest in Islandia veram domini nostri Iesu Christi ecclesiam inueniri.

Praedicat autem hocce verbum, eiusque sensum explicat ad modum *Confessionis Augustanae; aliorumque ecclesiae Lutheranae librorum symbolicorum* explicandi methodum, quod tanta cautione ac zelo perficitur, vt nemini prorsus in coetibus sacris suggestum liceat ascendere et publice coram populo concionem habere, nisi prius ab Episcopo sit examinatus, et ab illo datam sibi publice concionandi veniam proferre possit. In aedibus autem domesticis et priuatim, non tantum patres familias, sed etiam quiuis alius lectione verbi diuini et se et alios aedificare ac consolari et potest et debet, id enim legum praescripto non modo permissum, sed etiam bis singulis diebus facere mandatum est.

§. 17. Altera verae ecclesiae indubia nota esse dicitur sacramentorum baptismi scilicet et coenae dominicae secundum modum institutionis ipsius auctoris, prout eius apostoli, eundem ecclesiae tradiderunt, administratio et vsurpatio, quam nos sine dubio habemus: baptismo enim vtimur, eumque conferre credimus fidem, gratiam dei, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Sacram coenam sub vtraque specie externa vsurpamus in memoriam domini nostri, credentes nos in, cum, et sub mediis externis accipere corpus et sanguinem do-

mini

mini, ad confirmandam fidem de remissione peccatorum. Haec sacramenta ordinarie in templis a ministris ecclesiae administrantur, extra ordinem autem et in casibus necessitatis in aedibus priuatis. Sacram coenam nulli usquam, nisi soli sacerdoti, administrare licet, sed vrgente necessitate cuivis sanae mentis christiano baptismum administrare permissum est, nihilque in his singulare habet ecclesia Islandica, quod hic annotari mereatur.

§. 18. Sacram scripturam, quae communiter *Biblia* vocatur, vnicam religionis siue credendorum et faciendorum normam agnoscimus, cuius in nostram vernaculam linguam *tres* habemus *versiones*, sed quatuor tantummodo editiones. *Prima* eius *versio* paulo post reformationem religionis facta est, maxima ex parte a *Gudbrando*, Episcopo Holensi elaborata, et ab ipso edita anno 1584, quae *Lutheri* versionem germanicam, vt et versionem Danicam auspiciis *Christiani III.* editam in plerisque sequitur. *Secunda* facta est a *Thorlaco Skulonio*, Episcopo Holensi, ad ductum versionis Danicae a *Ioan. Resenio* elaboratae, edita *Holis* ab ipso *Skulonio* anno 1648, sed recusa *Havniae* 1747. *Tertia* autem sacri codicis versio, elaborata est a *Steino Ionaeo*, Episcopo Holensi et ab ipso edita *Holis* 1728, ad editionem codicis Danici a Collegio de cursu euangelii promouendo adornati, accommodata. Nouum testamentum

Islandicum, vt et pauci quidam V. T. libri, saepius editi sunt. De hisce versionibus et editionibus sacri codicis, omnino curioso lectori adeunda est erudita et accurata viri summe venerabilis domini *Ludouici Harboe* censura, *biblioth. Dan.* Tom. 8. 1746 (*). Veneratur etiam ecclesia Islandica eosdem illos *libros symbolicos*, quos pro talibus Dani et

(*) Non abs re, nec iniucundum lectoribus erit, si cum iis breuem *recensionem variarum versionum et editionum Bibliorum Islandicorum* communicamus, quam doctissimus *Halfdanus Einari* in sciagraphia histor. litterar. Island. Sect. VI. §. 4. p. 210 seqq. exhibet. „Laudabilem, inquit vir litteratissimus, in sacris Pandectis exponendis et in publicam lucem quam plurimorum bono protrahendis collocarunt operam „complures in patria viri; quorum respectu temporis agmen ducat *Otto Gotskalki*, Islandiae „borealis et occidentalis Nomophylax, qui codicem *Noui Testamenti* in linguam Islandicam „transtulit et Roiskildiae 1540 excudi curauit, „cui etiam tribuitur praeter versionem *historiae* „*passionis domini* et *desolationis Hierosolymitanae*, „Expositio concionum D. *Iusti Ionae* in librum „Ionae prophetae et Esaiae cap. LIII. cum Commentario, qui libri Havniae impressi 1557 et „1558. cura *Gislavi Ionae*, Episc. Skalh. Sequuntur ratione temporis, quo edita sunt, „*Prouerbia Salomonis* per *Gizerum Einari*, pri-

„mum,

et reliqui Confessionis Augustanae inuariatae assectae agnoscunt, licet eorum plurimi a doctorum tantum manibus terantur, cum in Islandicam linguam translati non sint, praeter vtrumque Lutheri Catechismum et Confessionem Augustanam. Reliquorum librorum theologicorum, qui ab ecclesia vsurpantur, et ad annum vsque 1740. impressi sunt, catalogus

„mum post reformationem dioeceseos Skalholtinae Episcopum, in vernaculam translata, et „ab incomparabili viro, *Gudbrando Thorlacio* „Holis 1580 edita; nec non *liber Syracidis*, a „*Gislavo Iohannis*, Episc. Skalholt. versus, Ho„lis eodem anno (vel, vt aliis placet, 1589) „publici iuris factus. Eidem *Gislavo Iohannis* „*filio* versio librorum propheticorum plerorum„que, ad Germanicam Lutheri adornata, tri„buitur, quam tamen versionem non vidi, nec „typorum beneficio publici iuris facta est. Pro„dierunt deinde *integra Biblia* in fol. c. fig. Ho„lis 1584 typis nitidissimis excusa, sumtibus et „auspiciis laudati *Gudbrandi Thorlacii*, qui eadem, „beati Lutheri versionem maxima ex parte secu„tus, felici successu transtulit. Edidit postea, „anno nimirum 1609 in forma 8. laudatus *Gud„brandus Codicem N. T.* parum a proxima edi„tione differentem; paullo vero ante, nimirum „1606 *Hymnos Davidis poenitentiales*, Propheta „*Ionas*, vnacum dictis consolatoriis e prophetis „collectis, eiusdem Episcopi cura prodiit Holis

in *Histor. eccles. Isl.* Tom. III. p. 378. et seq. 677. 719. 727. 741. 748. exhibetur.

§. 19. Solennis et publica verbi diuini praedicatio fit in templis, diebus dominicis et festis ab ecclesia Danica acceptis et approbatis, qualia sunt:

Biduum

„1614 (al. 1612.). Successor *Gudbrandi*, aui „materni vestigia pressurus, *Thorlacus Skullo-*„*nius*, *integra Biblia*, quae cum versione Dani-„ca, auspiciis Christiani IV. adornata et ipsius „Lutheri contulit, ciuitate Islandica donauit, et „Typographi *Haltori Asmundi* filii vt plurimum „opera vsus Holis 1644 in fol. publicauit, qui „etiam rogatu viri consultissimi *Thorlevi Magnaei*, „Hlidarendensis, e Typographeo Holensi *Psal-*„*terium Dauidis* 1647 vernacula donatum emisit, „quod et postea ibidem prodiit 1675. Psalte-„rium Dauidis abbreuiatum (s. Sententiae con-„solatoriae e Psalmis Dauidis collectae ab *Arn-*„*grimo Ionae*, Ecclesiaste Melstadensi, in eorum „gratiam, qui angoribus conscientiae inquie-„tantur) prodiit Holis 1597 et 1671, quo et „pertinet fons vitae, s. sententiae consolatoriae „e s. scriptura collectae, ed. Holis 1598. *Har-*„*moniam IV. Euangelistarum a Chemnitio, Ly-*„*sero et Gerhardo* concinnatam, edidit Islandice „Skalh. 1687 *Theodorus Thorlaci Skulonis* filius, „Episc. Skalh. figuris hinc illinc interspersis, „cui adiecta est historia Excidii Hierosolymitani „sub

Biduum in memoriam natiuitatis Domini, aliud biduum in eius a mortuis resurrectionem, et tertium in memoriam miraculosae spiritus sancti in Apostolos emissionis; Festum circumcisionis seu noui anni initium 1. Ianuarii; Dies viridium, dies passionis domini, dies solennis ieiunii et precum, quovis quarto post festum Paschatos die veneris celebrandus, et festum ascensionis domini. Festa autem annunciationis et omnium sanctorum

„sub Vespasiano, saepius ante, nimirum Hav„niae 1558 et Holis 1596 et 1617 recusa cum „nonnullis aliis. Prodiit iterum hic liber Holis „1749 cura *Haltori Brynjulfi*, Episcopi Hol. „*Penultima* prodiit Holis 1728 *integri sacri codi„cis editio* in fol. cura, studio et impensis *Ste„nonis Ionae*, Episc. Hol. *vltima* in 4. mai. Hav„niae 1747 typis et impensis orphanotrophii re„gii, quod et praecedente anno *codicem N. T.* „Islandice in 12. publici iuris fecit.„ Plures etiam libros quosdam V. T. et nouum Testamentum in linguam Islandicam transtulerunt, quorum versiones typis nunquam euulgatae sunt, sed Mstae exstant. Eminent inter hos, versiones N. T. *Pauli Bioernonis*, Selardalensis, *Theod. Thorlacii*, Episc. Skalholt. *Ioh. Thorkilli Widalini*, itidem Episc. Skalholt. et *Eyulfi Iohannis*, ecclesiastis Vallensis, de quibus pluribus agit *Halfdanus Einari* l. c. p. 213 seqq. Vid. etiam *Acta hist. eccl.* T. XII. p. 212. seqq. *Edit.*

ctorum, quae in 25 Martii et 1 Nouembris inciderunt, Edicto regio dato 1770. in dominicam proximam subsequentem, delata sunt. Reliqua autem vt tertius natalitiorum, Paschatos et Pentecostes dies, vt et festa Epiphanias, Purificationis, Ioannis baptistae, Visitationis Mariae et Michaelis, eodem regio edicto penitus abrogata sunt. Confluunt etiam ad templa curiati quouis die Mercurii, tempore Quadragesimali: tum enim historia Passionis domini publice enarratur, quod in quibusdam templis, quae magno a sacerdotis domicilio distant interuallo, diebus Lunae facere licet.

§. 20. Liturgia publica et ceremoniae ecclesiasticae, apud nos sunt eaedem, ac in aliis imperii Danici prouinciis vsurpantur, nisi quod antiqui moris tenacissimi adhuc plurimos habemus antiquos pios et bonos hymnos, qui in prima religionis ac ecclesiae reformatione in hunc vsum electi et instituti fuerunt, cum in nostram linguam versos non habeamus eosdem, qui in Dania vsurpantur.

Collectae (vt vocant) textusque epistolares ac euangelia idem sunt, qui nunc analytice nunc synthetice pro concionatoris lubitu enarrantur. Vt concionem supra vnam horam extendere illicitum est, ita eandem intra tres horae quartas concludere indecorum censetur. Solito diei pietatis exercitio absoluto, catechumeni

meni in certo templi loco congregati, pueri ad dextram, puellae vero ad sinistram se sistunt, quos accedens sacerdos, examen catecheticum et eiusdem doctrinae explicationem orditur, id autem vbi fuerit absolutum, hymni cuiusdam versum intonat, quo tota succinente concione deo gratiae aguntur, publicae necessitates ei commendantur, et pro rege, ecclesia ac republica deuote oratur, tandemque tota actio oratione eucharistica clauditur, ante quem actum absolutum ex templo nemini sine vrgente necessitate exire licet. Catecheticum hocce examen ad normam libri catechetici, qui inscribitur: *Veritas ad pietatem* ab *Erico Pontoppidano*, academiae Havniensis olim Procancellario, iussu regis augustissimi *Christiani* VI. (glor. memor.) conscripti peragitur, quem rex ille omnibus suis subditis vt cynosuram doctrinae catecheticae proposuit, et alio compendio catechetico in templis et scholis vti seuere prohibuit, vt hicce liber ideo symbolicus Danicae ecclesiae liber haud absque merito vocari possit. (*)

§. 12.

(*) Hinc toties repetitae editiones et variae versiones Islandicae huius libri catechetici b. *Pontoppidani* deriuandae sunt, quas recenset *Halfdanus Einari* in Sciagr. hist. litter. Island. Sect. VI. §. 5. p. 218. Primum eum in linguam Islandicam transtulit *Haltorus Brynjulfi*, Episcopus Holanus, cuius versio prodiit Havn. 1742 deinde *Hugo Sigurdi*, Parochus Stafafellensis et Nomar-

§. 21. Catechumeni licet semel vel bis et qui sunt tardioris ingenii saepius dictum librum: Veritatem pietatis, praeeunte sacerdote publice in templo recitando, repetendo, explicando exsoluerint, tantumque in doctrinae caelestis intellectu profecisse videantur, vt non temere sacrae coenae vsus eis permitti possit, legibus tamen cautum est, vt legendi periti sint plebeiorum filii, vt ex libro discere et semetipsos monere, confirmare et corrigere possint; praeterea vt priusquam admittantur, proximos ad minimum tres menses, bis in quauis septimana, domum sacerdotis adeant, eique se priuatim examinandos sistant, in quo examine intimos eorum cordis recessus inire et probare satagit, quid tandem de quouis fidei articulo reuera sentiant, et quomodo eum ad suum statum applicare norint, cumque tandem de eorum intellectus et voluntatis qualitate, vt et animi pia constitutione certus sit factus, illis indicit vt proximo *Confirmationi ecclesiasticae* destinato die se in templo

marchiae Skaftafellensis Praepositus, cuius noua translatio prodiit Havniae 1746, et, cum praefat. S. Ven. *Gislavi Magnaei*, Episc. Holani, Holis 1759, 1764 et 1769. Adornata etiam est eiusdem libri versio latina in vsum Scholae Skalholtinae. In Compendium lingua Islandica illum redegit *Vigfusus Iohannis*, Pastor Micklaholtensis, Havn. 1770 in lucem emissum. *Editor.*

templo publice confirmandos sistant, quo piissimo, vtilissimo et summe necessario opere absoluto, illis ad sacram coenam liber accessus solenniter conceditur. Dies autem, qui huic actui in Islandia destinati sunt, sunt dominica proxima ante 25. Maij, et proxima ante 29. Septembris incidentes, poscente necessitate vltima cuiusuis anni dies dominica.

Introduxit hunc pulcherrimum ritum in dioecesin Holensem, eiusdem Episcopus meritissimus *Gudbrandus Thorlaci*, vt ex eius libello: *de Confirmatione ecclesiastica* edito 1591. patet, sed cum optimum institutum regia destitutum esset confirmatione post magni huius viri fata, paulatim obsoluisse videtur. Anno autem 1736. solenniter eum induxit, et in leges intulit gloriosissimus et piissimus rex, *Christianus* sextus (*), cui perennitatem nunquam abrogandam toto ex animo optamus. Ipsum huncce ritum et sacrum opus vt hic vberius describamus, non opus est, cum omnibus eum notissimum esse putemus. Haec autem tam operose prosecuti sumus, vt ostendamus,

(*) Legem regiam, per quam ritus *Confirmationis* Catechumenorum in regnis et prouinciis Danico sceptro subiectis publice introductus est, latam d. 13 Ian. 1736 germanico idiomate expressam vide *in der Daenischen Bibliothek, I Stück*, p. 336. seqq. Conf. etiam Acta hist. eccl. T. II. p. 1086. *Editor.*

damus, quanta cautela hic adhibeatur, ne iuniores saltim prima vice, qui se ipsos probare nesciunt, ad sacram coenam indigni admittantur.

§. 22. Ne tam prudenter tantaque cura ac labore iacta pietatis et sapientiae fundamenta, ex iuniorum animis euellantur, aut obliuioni dentur, licet quouis die dominico, vt ante confirmationem fiebat, non examinentur, et corroborentur, sed sarta tecta ibidem conseruentur, et augeantur; instituta est Visitatio domestica, quam quiuis parochus quotannis bis, aut si opus erit, saepius peragere iubetur. Vicatim tum ille nullum prorsus praeteriens domicilium, suis cinctus administris (si ipsi ita placet) perlustrat et vnamquamque personam ab infantibus ad decrepitos vsque senes examinat, interrogans illos an aliquid discere inceperint, adolescentes an ante inculcata retineant, hos vero, siue senes, quidnam iam in senectutis tribulationibus, solatii habeant et quomodo iunioribus suo praeluceant exemplo. Instituit praeterea inquisitionem de cuiusuis personae moribus, conuersatione, in officio fide et in agendis diligentia, omnes ac singulos sui admonens officii, bonos laudando, desides incitando, malis minitando, sed errantes in viam reducendo, nihil prorsus quod ad fidei aut morum emendationem pertinere putat, omittens, in omnibus

nibus his summa vsus humanitate, et priuatim, ne cuiquam vllum conflet dedecus aut famae imminutionem, nisi cum contumacibus et notoriis peccatoribus res sit, tunc enim omnia praesentibus administris peraguntur, tandemque res ad superiores magistratus defertur. Vt certum sit curioni quot et quales suae curae et fidei commissas habeat animas, generalem earum catalogum quotannis adornare iubetur, et ad cuiuscunque nomen breuem, sed veram, de eius doctrina, moribus et animi adfectionibus epicrisin adscribere, libellum praeposito aut Episcopo parochiam visitanti ostendere, vt illi ex eius collatione cum ipsius personae examine de parochi fide et demonstratae personae qualitate iudicium ferre queant. Ne autem quisquam astu quodam aut ignorantiae praetextu eludere possit sacerdotis visitationem domesticam, coetui proxime antecedente die dominica ex suggestu publice significatur, reliquae autem Episcopi scil. et praepositi visitationes in templo peragendae, triduo, antequam instituuntur, indicantur, sed subterfugientes pari mulcta ac Sabbathi violatores afficiuntur (*).

§. 23.

(*) De Edicto regio, d. 27. Maii 1746 dato, quo Visitationes domesticae Pastorum in Islandia introductae sunt, vide Maxime reuer. *Lorckii Beytr. zur neuesten Kirchengeschichte in den Dän. Reichen*, I. B. I. St. et *Acta hist. eccl. Tom. XX.* p. 221. *Edit.*

§. 23. Vt nusquam non talia incidunt, quae saluo ecclesiae honore impune dimitti nequeunt, ita et apud nos quandoque talia vsu veniunt, quibus compescendis et eradicandis opposita est *Disciplina ecclesiastica*. Sed vt diuersi sunt gradus et indoles talium delictorum, ita et modus et gradus huius disciplinae diuersi sunt generis. *Tres* itaque apud nos sunt *publicae poenitentiae* seu disciplinae ecclesiasticae *gradus*. *Primus*, qui leuissimis competit offensis et scandalis, consistit tantum in deprecatione scandali, ab ipso peccatore antequam sacrum inchoatur officium, vel etiam a sacerdote eius loco facienda; qui deprecandi modus grauioribus etiam peccatis, sed casu quodam limitatis conuenire potest: e. g. cum notorius peccator, cui publica objurgatio et absolutio indubie competebat, interueniente morbo priuatim crimen confessus et deprecatus fuerat, et deinde absolutus ac ad sacram synaxin admissus, si ex morbo conualuerit, non denuo publice obiurgatur et absoluitur, sed rem, vt acta est, coetui sacro minister ecclesiae indicat, ne tali exemplo offendatur. *Secundus publicae poenitentiae gradus* in eo consistit, quod notorius quiuis peccator, ab vsu sacrae coenae arcetur, nec ad eandem, priusquam aliquantisper seria contritionis signa ostenderit, et exantlata publica obiurgatione, factaque publice deuota deprecatione, tandem absolutione accepta, admittitur, qui actus sta-

ſtatim poſt finitam concionem, ſed ante ſacrae coenae adminiſtrationem perficitur, vt hoc modo abſoluto et in eccleſiae gremium recepto, vnacum aliis ad ſacram coenam acceſſus ſtatim pateat. *Tertius* et ſupremus *diſciplinae eccleſiaſticae gradus* eſt *excommunicatio maior*, quod horrendum flumen in obſtinaces peccatores non ſtatim emittitur; idque nec temere nec properanter, ſed adhibitis prius et a peccatore praefracte abjectis ac contemtis omnibus aliis conuerſionis modis. Primo enim peccator plus ſimplici vice priuatim informatur, oratur, monetur de periculoſo ſuo ſtatu et conditione; deinde ſi in propoſito perdurat, paſtor eum per Aedituum vocat, vt coram ſe compareat, et ſi in propoſito permanet, a ſacra coena arcetur et de imminente maiori excommunicatione monetur; quodſi adhuc in contumacia perdurauerit, praepoſito primum et deinde Epiſcopo cauſſa refertur, tandemque ex huius conſilio vniuerſae curiae manifeſtatur, tribusque proximis diebus de eius conuerſione ſupremum numen inuocatur, diesque reo dicitur, quo ſiue compareat, ſiue non publice ſit deuouendus, tandemque ſacerdos die conſtituto, finita concione hocce telum in eum vibrat, cuius aculeus talis eſt, vt Satanae eum tradat in perditionem carnis, vt anima ſalua fiat. Si iam reſipuerit, deuotus ſolenniter reuocatur et reo eccleſiae gremium aperitur; ſi vero in contu-

macia persistit, a magistratu aut in exilium mittitur, aut in carcerem coniicitur. Haec poena Episcopis romanae ecclesiae, quam diu illi in ecclesia Islandica regnum tenuerunt, perquam fuit familiaris, vt ex *Hist. eccl. Isl.* discere licet, sed a reformationis tempore per 220. annos nescio an vnquam vsurpata fuerit, nisi ab Episcopo Skalholtino Mag. *Iona Arnae filio*, antiquae seueritatis et durioris ingenii viro, qui ante 50. circiter annos mordax et horrendum hocce telum in duos rusticos vibrauit, quorum vterque id ipsum contemserunt, sed tandem cum alteri magistratus politicus exilium, alteri vero ergastulum Bremerholmianum minaretur, vterque, saltim verbo, conuersus est.

§. 24. Talis, vt iam delineauimus, est tam externus quam internus ecclesiae Islandicae status, intimum autem illum statum, cordium nempe secessus et cogitationes, soli cordium et renum scrutatori cognoscere competit, mortalibus negatur, nisi quod homo perinde, ac arbor ex fructibus, quodammodo cognosci potest. Ex quibus si quis nationem nostram iudicare vellet, nescio an peruersi iudicii accusari posset, si eam in tres distingueret classes, it vt prima eorum sit, qui omnibus intensis neruis in sancta cordis simplicitate, iustitiae ac pietatis semitae insistentes, et vnum illud necessarium sectantes salutem animae

aeter-

aeternam cum timore et tremore operari conantur, qui, vt puto, haud pauci funt. Secundam conftituant claffem, qui haud tam ardenti zelo inflammati, in ecclefiae conforrio viuunt et verfantur, verbum dei audientes et facramentis vtentes, enorme nihil faciunt, nec grauia excitant fcandala, prioribus licet haud pares videantur, impii tamen haud quaquam vocari poffunt.

Tertia tandem earum fit, qui fi non manifefte impii, tepidi tamen et vacillantes, mundoque et mundanis dediti, fcandala faepius dant, fed admoniti ad tempus refipifcunt, et in ecclefiae gremium fe infinuant, de quibus id faltim certe dici poteft, quod in externo ecclefiae confortio viuant. Reliqua folus nofcit dominus. Dantur praeterea quidam manifefte mali, qui pro mortuis et putridis ecclefiae membris habentur, licet talia non commiferint fcelera, vt omni meliorum confortio exclufi fint. Haerefes aut grauiora fchifmata apud nos nunquam aperte propagata fuerunt, aut ita inualuerunt, vt religioni dominanti aut ecclefiae multum nocerent.

I.

Designatio Ecclesiarum Dioeceseos Skalholtinae et ministrorum verbi diuini in iis constitutorum anno 1777. d. 30. Novembris.

Finnus Iohannaeus. SStae Theol. Doctor, Episcopus. (*)

Iohan-

(*) De clarissimo hoc Islandiae lumine, Auctore huiusce Descriptionis status ecclesiastici Islandici, meritisque et scriptis eius, quibus omnem Islandiam mirifice illustrat, non opus foret, plura hic addere, quum etiam apud exteros dignis depraedicata sint laudibus; nisi fortasse non pauci lectorum, quibus de scriptis eius aliquid videre nondum contigit, in votis haberent, aliqua eorum notitia instructum iri. In horum igitur gratiam monendum duxi, Summe Vener. *Finnum Iohannaeum* immortali *Historiae ecclesiasticae Islandiae* opere non solum apud Islandos, sed etiam apud exteros inclaruisse, et nominis gloriam sibi conciliasse. *Tres* eius *tomi* Havniae 1774 seqq in 4. lucem adspexerunt; *quartus*, vero, qui *Historiam monasticam Islandiae* continebit, iam ibidem sub prelo sudat. Iuuat, de hoc praestantissimo opere, cuius penitius noscendi copia mihi data est, in medium proferre verissimum doctissimi *Halfdani Einari* judicium,

qui

Iohannes Finnaeus, Episcopus Adjunctus et designatus successor. (*)

I. Topa-

qui in Sciagraphia hist. litter. Islandiae, sect. III. §. 11. p. 150: „Spei dudum conceptae, inquit, „desiderioque litterati orbis iam satisfecisse nullus „dubito — S. V. *Finnum Iohannaeum*, postquam „in lucem emisit *Historiam Islandiae ecclesiasti-* „*cam*, ex historiis, Annalibus, Legibus eccle- „siasticis, aliisque rerum Septentrionalium mo- „numentis, maximam partem hactenus ineditis, „congestam; *opus profecto varia eruditione refer-* „*tum*, *et omnibus historiae patriae studiosis com-* „*mendatissimum*, cui si accedant reliqua, quibus „Viri Summi elaborandis invigilat solertia, non „erit magni momenti, quod hac in parte desi- „derabit historiae patriae; in primis ecclesiasti- „cae, subtilior inuestigatio.„ Praeter hoc *historiae ecclesiasticae* opus edidit doctissimus Episcopus *Diatriben de legibus ecclesiasticis Islandiae*, et *Ioh. Iac. Rambachii monitis catecheticis*, quae Holis 1759. Islandice prodierunt, doctissimam praemisit *praefationem*, historiam Catecheseos illustrantem. Plura autem Summe Venerabilis Senis scripta adhuc inedita sunt, nimirum *Tr. de Decimis Islandorum et de pecudibus ferreis; Epist. de immunitate Clericorum et Magistratus politici a tributo* Baendaskattur *appellato; Recens. Doctorum semisaecularium Dioeceseos Skalholtinae, qui post reformationem vixerunt*, et alia. *Editor.*

(*) Summe Vener. *Iohannes Finnaeus*, Episcopus ad-

I. Toparchia Mulensis.

Tantae est amplitudinis Prouincia haec, vt ab vno praeposito non sine magno labore et temporis dispendio visitari, nec ab omnibus commode adiri possit, vnde hoc officium duobus personis commissum est, *Ionae Morlaci* in parte Australi et *Paulo Gudmundi* in parte Boreali.

Tem-

iunctus dioec. Skalholtinae, est filius Episcopi senioris *Finni Iohannaei*, tanto patre dignissimus, Havniae 1777 ad grauissimum Episcopi munus initiatus. Variis, iisque doctissimis et elegantissimis scriptis, iam dudum maximam nominis celebritatem apud Danos et Islandos nactus est, quorum praecipua haec fere sunt: 1) *Ius ecclesiasticum Vicensium*, cum versione et notis *Iohannis Finnaei*. Havn. 1759. in 4. occasione Iubilaei anni 1760 praemio ab Vniuersitate Havniensi ornatum. Huius Pars I. per M. *Magnum Olai Beronium*, nunc *Biörenstiernam*, Legationis Polonicae Secretarium 1761 Vpsaliae recusa est, qua occasione laudatus Finnaeus *Curas posteriores* in praedictum Ius ecclesiasticum 1762, easdemque *continuatas* 1765 evulgavit. Vid. *Halfdan. Einari* l. c. p. 196. 2) *Diss. historico-litteraria de Speculo Regali*, in Collegio Elersiano 1766. habita. Denuo haec dissertatio in editione *Speculi Regalis*, cum versione Danica *Iohannis Erici*, et latina *Halfdani Einari*, Sorae

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
1. Skeggiaftadir	1. Sigurdus Vigfusi
2. Refftadur	2. Sigfus Gudmundi
	3. Hof

Sorae Danorum 1768 publici iuris facta, edita est. 3) *Tractat. de Conflagratione Heklae*, 1766. primum Danice, post Gallice in lucem emissus. 4) *Lexicon Islandicum*, 1767 feqq. coeptum et vsque ad litteram D. perductum; quod vtrum absolutum sit, nec ne, non satis exploratum habemus. Speciminis eius loco sunt voces *bord* et *ek dreg*, ab Auctore *Indici vocum ad Gunnlaugi Ormstungae vitam* insertae. 5) *Duae Epistolae* ad Conterraneos, vt eos ad agriculturam excitaret, 1771 Islandice scriptae, ex Islandica in Danicam linguam versae a *Biörnone Johannis*, et Havn. 1772 editae. 6) *Landnama-bók* siue *Origines Islandiae*, cum versione latina et annotationibus *Ioh. Finnaei*, Havn. 1773 in 4. 7) *Indices vocum et loquendi formularum* in antiquos libros Islandicos: *Kristni- Sagam et Gunnlaugi Ormstungae (Vermilinguis*, poetae) vitam, Havn. 1774 editos, a *Ioh. Finnaeo* multo studio confecti. 8) *Hungurvaka*, liber historicus, vitas quinque priorum Islandiae Episcoporum Skalholtensium delineans, ante annum 1200, vt perhibetur, scriptus, qui seuirorum ad antiquitates septentrionales euulgandas a Rege Daniae constitutorum cura in linguam latinam translatus, et notis *Ioh. Finnaei* auctus, Havn. 1774 typis mandatus est. *Editor.*

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
3. Hof	3. Schaptius Arnae
4. Hofteigur	4. Erlendus Gudmundi
5. Kyrkiubaer	5. Thordus Hognii
6. As i Fellum	6. Vigfus Ormi.
7. Valthiofsstad et 8. Skriduklaustur	7. Hiorleifus Thordi, Praepositus et pastor emeritus. 8. Paulus Magni, Subminister.
9. Hallormstadur	9. Ionas Hognii
10. Thingmule	10. Biornus Halli
11. Vallanes	11. Paulus Gudmundi praepositus Borealis partis
12. Eidar	12. Ingemundus Asmundi
13. Hialtastadur	13. Grimus Bessi
14. Desiarmyri, 15. Niardvik	14. Benedictus Ingemundi
16. Klipstadur	15. Einanis Biorni
17. Dvergasteirn, 18. Mioifiordur	16. Thorsteinus Ionae

Tem-

Templorum nomina	Ministrorum nomina
19. Skorrastadur	17. Thorsteinus Benedicti
20. Holmar	18. Ionas Thorlaci, Praepositus partis Australis 19. Einarus Stephani, submin.
21. Kolfrejustadur	20. Eiricus Einari, Ord. min. 21. Ionas Stephani, Subminister.
22. Stod	22. Sveno Sigurdi
23. Berufiardur 24. Berufiardarnes	23. Magnus Olavi
25. Hals	24. Ionas OddiHialtalm
26. Hof.	25. Thorleifus Biorni, ord. Minister. 26. Eiricus RafnKeli, Submin.

II. Toparchia Schaptafellensis.

Non quidem valde populosa est, sed tantis dissecta periculosis fluviis et arenosis tesquis, praeterea in tantam protensa longitudinem, ut ab vno viro quotannis visitari, et ille ab incolis adiri sine magna molestia et impensis nequeat. Vnde in duas divisa est Ephorias, orientalem nempe et occidentalem. In illa Praepositum agit *Bergus Gudmundi*, in hac *Ionas Steingrimi.* Pars

Pars Orientalis.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
27. Stafafell	27. Rafnkillus Biarni
28. Biarnanes 29. Hoffell	28. Bergus Gudmundi Praepos. Pastor emeritus. 29. Ionas Bergi, Ordin. minist.
30. Einholt.	30. Vigfusus Benedicti.
31. Kalfafell in Fellshverfi	31. Brinjolvus Gudmundi.
32. Hof et 33. Sandfell	32. Ejulfus Teiti.

Pars Occidentiales.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
34. Kalfafell in Fliotshverfi	33. Thordus Ionae
35. Kyrkiubaer	34. Thorlacus Sigurdi
36. Afar 37. Skaal. 38. Buland	35. Sigurdus Hogni.
39. Holmasel	36. Biornus Ionae.
40. Thychvebaejr	37. Ionas Ionae.
41. Hofdabrecha 42. Reinir	38. David Gudmundi. Ord. min. 36. Sigurdus Ionae, Subm.

43. Dyr-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
43. Dyrholar 44. Solheimar.	40. Ionas Steingrimi, Praepositus.

III. Toparchia Rangarvallensis.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
45. Holar 46. Skogar 47. Steinar	41. Hafdanus Gisli, ord. Min. 42. Ionas Halfdani, Submin.
48. Holt.	43. Sigurdus Ionae, Emeritus et Praepositus. 44. Paulus Sigurdi, Ord. min.
49. Dalur	45. Paulus Hogni
50. Vestmannejar	46. GudmundusHogni et 47. Benedictus Ionae, Comminist.
51. Vodmulastadir 52. Kross	48. Thorsteinus Stephani
53. Teigur 54. Klydarendi 55. Mule	49. Magnus Einari Ord. min. 50. Illugus Iohannis Submin.

56. Brei-

Templorum nomina	*Miniſtrorum nomina*
56. Breidabolſtadur	51. Stephanus Hognu.
57. Hvoll 58. Skumſtadir	52. Ogmundus Hognii
59. Oddi	53. Gislaus Snorronis, Praepoſitus.
60. Keldur 61. Gunnarsholt	54. Ionas Henrici
62. Klofi 63. Storuvellir 64. Skard	55. Einarus Ionae
65. Kalfholt 66. As 67. Hafur	56. Gudmundus Bergi
68. Marteinſtunga 69. Hagi 70. Arbaer	57. Bodvarus Hognii

IV. Toparchia Arneſenſis.

71. Skalholt	58. Eiricus Vigfuſi, Paſtor Cathedralis.
72. Torfaſtadir 73. Braedratunga 74. Haukadalur	59. Paulus Hognii
75. Aruni	60. Ionas Finnaeus

76. Rei-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
76. Reikiadalur 77. Tungufell	61. Saemundus Thorsteini.
78. Holar 79. Hof	62. Sigurdus Thorleifi
80. Steinsholt 81. Nupur	63. Sigurdus Magni
82. Olafsvellir	64. Eingilbertus Ionae
83. Hraungerdi 84. Hialmholt	65. Suenus Hallthori.
85. Laugardaelir 86. Villingaholt 87. Hroarsholt	66. Magnus Thorhalli
88. Gaulveriabaer 89. Stochseyri	67. Ionas Titi Praepositus.
90. Kaldadarnes	68. Gislaus Olai
91. Strond 92. Krysuvik	69. Ionas Magni, Emeritus. 70. Sigurdus Ingemundi, Ord. Min.
93. Arnarbaeli 94. Hialli 95. Reikir	71. Ionas Andreae, Ordin. minist. 72. Vigfus Ionae, Subminister.

96. Snae-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
96. Snaefuglstadir 97. Hola 98. Burfell	73. Ionas Halldori, Ord. minist. 74. Vigfus Ionae, Subminist.
99. Mosfell	75. Hilarius Illugi
100. Middalur 101. Vthlyd	76. Kolbeinus Thorsteini
102. Thingoellir 103. Vlfliotsvatri	77. Magnus Saemundi.

V. Toparchia Kialnesensis.

104. Stadur	78. Aruis Gudlogi
105. Kyrkiuvogur 106. Hvalsnes 107. Niardirk	79. Ionas Ionae.
108. Vtskalir	80. Egillus Elldjarni
109. Kalfatiorn	81. Sigurdus Ionae
110. Gardar 111. Bessastadir	82. Gudlaugus Thorgeiri, Praepositus.
112. Nes 113. Reikiavik 114. Laugarnes 115. Videy	83. Arnas Thorarini

Tem-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
116. Mosfell	84. Ionas Iohannis
117. Gufunes	
118. Brautarholt	85. Thordus Thorhalli
119. Saurbaer	
120. Reinwellir	86. Ionas Thordi
121. Medalfell	

VI. Toparchia Borgfiordensis.

122. Saurbaer	87. Biornus Thorgrimi
123. Gardar	88. Olaus Brinjolvi, ord. Minist.
124. Innreholmur	89. Gestus Thorlaci, Submin.
125. Melar	90. Arngrimus Ionae
126. Leyraa	
127. Hvanneyri	91. Thorsteinus Sveinbiorni,
128. Baer	
129. Lundur	92. Snaebiornus Thorvardi.
130. Fitiar.	
131. Reikholt	93. Thorleifus Biarni, praepos.
132. As	94. Snorro Biorni
133. Husafell	
134. Kalmanstunga	

Tem-

VII. Toparchia Myrensis.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
135. Gilspachi 136. Sydumuli	95. Ionas Ionae.
137. Hvammur 138. Nordtunga	96. Ionas Sigurdi
139. Stafsholt 140. Hiardarholt	97. Christianus Johannis.
141. Borg 142. Alstanes	98. Fridericus Gudmundi.
143. Stadarhraun 144. Alstartunga	99. Erlendus Vigfusi.
145. Hytardalur	100. Hallthorus Finnaeus, praepositus.
146. Hiortsey 147. Akrar 148. Krossholt 149. Kolbeinstadir.	101. Sigurdus Ionae, Minist. ord. 102. Ionas Sigurdi, Submin.

VIII. Toparchia Hnappadalo-Snajfellensis.

150. Miklaholt. 151. Raudemelur.	103. Petrus Einari, Minister ord. 104. Vigfusus Ionae, Subm.

Tem-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
152. Stadastadur 153. Budir	105. Ionas Magni.
154. Knor 155. Laucharbrecha 156. Lon	106. Ionas Thorgilsi
157. Ingialldsholl 158. Frodaa	107. Ionas Sigurdi ord. Min. 108. Steindorus Ionae, submin.
159. Setberg	109. Vigfus Erlendi, ord. Min. et praepositus. 110. Erlendus Iohannis submin.
160. Helgafell 161. Biarnarhofn.	111. Gunnlaugus Snorronis, ord. Minister. 112. Gislaus Gunnlaugi, submin.
162. Breidabolstadur 163. Narfaeyri	113. Arnas Sigurdi.

IX. Toparchia Dalensis.

164. Snoxdalur 165. Saudafell	114. Benedictus Iohannis.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
166. Qvennabrecka 167. Vatnshorn.	115. Iohannes Biornonis
168. Hiardarholt	116. Gunnarus Pauli, praepos. 117. Paulus Gunnari, Submin.
169 Huammur 170. Saelingsdalstunga 171. Stadarfell	118. Einarus Thordi Ord. M. 119. Marcus Ejulfi, Subm.
172. Dagverdames 173. Skard 174. Budardalur	120. Olaus Einari
175. Stadarholl 176. Hvoll	121. Olaus Gislai

X. Toparchia Bardastrandensis.

177. Garpsdalur	122. Ionas Sveini
178. Stadur 179. Reikholar	123. Benedictus Pauli
180. Gufudalur	124. Saemundus Halfdani.
181. Skalmarnessmuli 182. Flatei	125. Marcus Snaebiorni Ord. M. 126. Torfus Eggerti, Subm.

Tem-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
183. Hagi 184. Briamaslekur	127. Gudbrandus Sigurdi.
185. Saudlauksdalur 186. Baer a Rauda sande.	128. Biorn. Halldori, praepof.
187. Selardalur 188. Laugardalur	129. Eggertus Ormi, Ord. Min. 130. Ionas Ormi, subminister.
189. Otrardalur	131. Vernhardus Gudmundi.

XI. Toparchia Isfiordensis.

Cum sinuosa pariter ac montosa valde sit haec provincia, vt aut nauibus, aut pedibus viatoribus hic utendum sit, in commodum tam praepositi quam aliorum eius ope aut officio indigentium, in duas diuisa est ecclesiasticas *Ephorias*, *Occidentalem* nempe, cui *Magnus Snaebiornis* praeestet *Borealem* cui *Gudlaugus Sveini* praefectus. In ejus *Occidentali parte* sitae sunt Paroeciae sequentes:

190. Hrafnseyri	132. Ionas Biarni.
191. Alftamyri	133. Haquinus Snaebiorni

Templorum nomina	*Ministrorum nomina.*
192. Sandar. 193. Hraun	134. Magnus Snaebiorni, Praepos.
194. Myrar 195. Nupur 196. Saeból	135. Ionas Asgeiri.
197. Holt. 198. Kirkiubol i Valthiofsdal	136. Ionas Eggerti.
199. Stadur i Sugandafyrdi	137. Thorsteinus Thordi.

In parte Boreali.

200. Holl 201. Eiri i Skutulsfyrdi	138. Thorbergus Einari.
202. Eiri i Seidisfyrdi 203. Ogur.	139. Ionas Sigurdi
204. Vatnsfiordur.	140. Magnus Titi, praepositus emeritus et pastor. 141. Illugus Ionae, Subm.

Tem-

Templorum nomina	*Miniſtrorum nomina*
205. Kyrkiuból	142. Gudlaugus Sveini, praepoſ.
206. Stadur a Snaefiallaſtrond.	143. Ionas Sigurdi
207. Stadur i Grunnavik.	144. Ionas Sigurdi
208. Stadur i Adalvik	144. Helgo Einaris.

XII. Toparchia Strandenſis.

Templorum nomina	*Miniſtrorum nomina*
209. Arnes i Trekillisvik.	246. Magnus Eunaris.
210. Stadur i Steingrimsfyrdi	147. Asgeirus Ionae, praepoſitus.
211. Kaldadames	
212. Frollatunga	148. Ionas Olavi, Ord. Min.
213. Fell. - -	149. Hialmar Tlloríteini, ſubm.
214. Preſtbachi	150. Ejolfus Sturlae.
215. Eiri i Bitru	

Ex his patet, habere Dioeceſin Skalholtinam miniſtros verbi ordinarios 129., ſubminiſtros 21., et praeter hos emeritos ac de-

Templorum nomina *Ministrorum nomina*

crepitos senes 7. qui quadra publica seu pensionibus ex lautioribus praebendis quotannis solvendis sustentantur, vt sacerdotes jam habeat haec Dioecesis omnibus connumeratis, 151. Templa vero habet 215., exceptis sacellis, quae hic non numerantur. Hujus vero Dioeceseos longitudo geometrica ab Oriente in Occidentem est circa 120. milliar. latitudo autem vbi maxima, 70., quae Episcopo quodvis templum visitaturo, triplo majus iter emetiendum faciunt.

Emeritorum nomina.

Gislaus Gislai

Ionas Oddi

Gudmundus Erici

Philippus Gunnari

Ericus Biarni

Gislaus Ionae

Magnus Halthori, Viventes quadra publica.

II.

Dioecesis Holana

Gislavus Magni Episcopus. (*)

I. Toparchia Hunavatnensis.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
1. Hostkuldstadir	1. Magnus Petri.
2. Hof. } 3. Spakonufell.	2. Eiricus Ionae. 3. Biorn Ionae, Subm.
4. Hialtabachi	4. Rafn Ionae
5. Thingeyar	5. Thorlacus Magni
6. Bergstadir } 7. Bolstadahlid	6. Ionas Audini 7. Audinus Ionae, Subminist.
8. Holar } 9. Holtastadir	8. Benedictus Arnae
10. Audkula } 11. Svinavatn	9. Asmundus Pauli

(*) Summe Vener. Episcopus Holanae dioeceseos, *Gislavus Magnaeus*, scriptis et meritis in patriam suam clarus, inter alia editioni Islandicae libri supra laudati b. *Erici Pontoppidani*, quem Αληθεια κατ' ευσεβειαν inscripsit, Holis 1759 typis expressae, praefixit *praefationem* lectū dignissimam, vbi varia scripta Islandica, Catechismum Lutheri explicantia, recensentur. Edidit etiam Praesul meritissimus praecui sui; *Iohannis Magnaei*, *Oeconomiam christianam*, siue tabulam officiorum in societate domestica et ciuili, aliquot carminibus comprehensam, Havn. 1734. in 12. post Hrappseyae 1774. in 8. recusam, *Editor*.

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
12. Vndirsell 13. Marstadir	10. Gudmundus Gudmundi.
14. Grimstunga	11. Einarus Erici
15. Breidabolstadur 16. Videdalstunga	12. Biarnius Ionae, Praepos.
17. Vesturhopsholar	13. Ionas Benedicti
18. Tiorn 19. Kyrkuihvammur	14. Petrus Biorni
20. Stadarbachi 21. Nupur	15. Ericus Olai
22. Melstadur	16. Biarnius Petri
23. Stadur vid Hrutafiord	17. Ericus Gudmundi

II. Toparchia Hegranesensis.

24. Goddalur 25. Arbaer	18. Ionas Sveini
26. Miklebaer 27. Silfrastadir	19. Otto Gislai
28. Hvammur 29. Keta	20. Thorvaldus Ionae 21. Gunnlaugus Magni, Subm.
30. Ripur 31. Vidvik	22. Snorro Biorni
32. Bard 33. Holt	23. Gudmundus Sigurdi
34. Knappstadir	24. Sveinus Ionae

Tem-

Templorum nomina	*Miniſtrorum nomina*
35. Reiniſtadir	25. Ionas Gunnlaugi 26. Ionas Ionae, Subm.
36. Hof 37. Miklebaer 38. Grof	27. Ejulfus Sigurdi
39. Fell 40. Hofdi	28. Sigfuſus Sigurdi
41. Flugumyri 42. Hofſtadir	29. Ionas Ionae, Prae-poſitus.
43. Maelifell 44. Reikir	30. Biarnius Ionae
45. Glaumbaer 46. Holt 47. Vydemyri	31. Grimulfus Illugii 32. Eggertus Erici, Subminiſt.
48. Fagranes 49. Siovarborg	33. Arnas Ionae 34. Magnus Arnae, Subm.
50. Holar i Hialltadal	35. Thorkillus Olai

III. Toparchia Vadlenſis.

51. Hrafnagil 52. Kaupang	36. Erlendus Ionae, Praepoſ.
53. Glaeſibaer 54. Logmanshlid 55. Svalbard	37. Sigurdus Ionae 38. Ionas Sigurdi, Subminiſt.
56. Baegisaa 57. Bachi	39. Arnas Thomae
58. Myrkaa	40. Stephanus Hallthori.

Tem-

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
59. Stori Arskogur	41. Egillus Thorarini.
60. Vellir	42. Ionas Hallthori 43. Thordus Ionae, Subm.
61. Tiorn 62. Vrdir	44. Magnus Enari
63. Vpsar	45. Gunnarus Hallgrimi
64. Kvyabreckur	46. Ionas Ionae
65. Hvanneyri 66. Siglunes	47. Ionas Gudmundi
67. Midgardur i Grimsey	48. Ejolfus Biarnii
68. Grund 69. Modruvellir	49. Ionas Ionae
70. Miklegardur 71. Holl et 72. Storedalur	50. Magnus Ionae
73. Saurbaer	51. Thomas Tkulii
74. Modruvellir	52. Sigurdus Stephani
75. Munkathveraa	53. Gunnlaugus Erici.

IV. Toparchia Thingeiensis.

76. Laufaas	54. Ionas Egilli
77. Hofdi 78. Gritubacki	55. Sigfusus Ionae, Praepos.
79. Thaunglabachi 80. Flatey	56. Snaebiorn Hallthoris

81. Hals

Templorum nomina	*Ministrorum nomina*
81. Hals	
82. Illugastadir 83. Draflastadir	57. Ionas Thorgrimi 38. Gunnlaugus Gunnlaugi, Subm:
84. Thorodd stadir 85. Liosavatn	59. Saemundus Ionae 60. Thorleifus Saemundi, Submin.
86. Eyardalsaa 87. Lundarbrecha	61. Thorsteinus Ionae
88. Helga stadir 89. Einarstadir	62. Ionas Ionae 63. Magnus Biorni
90. Reikiahlid 91. Skutustadir	64. Einarus Hialti
92. Mule	75. Ingialdus Ionae
93. Greniadarstadur 94. Thveraa	66. Hallgrimus Eldjarni 67. Ionas Laurentii Schewing submini ster.
95. Nes	68. Einarus Arnae
96. Husavik	69. Thorlakus Ionae
97. Gardur 98. As	70. Ionas Sigurdi
99. Skinnastadir	71. Vigfusus Biorni
100. Prestholar	72. Stephanus Thorleifi, praepositus. 73. Stephan Laurentii Schewing, Subm.

Tem-

Templorum nomina.	*Ministrorum nomina.*
101. Svalbardur	74. Olaus Ionae
102. Saudanes	75. Gislaus Magni

Pastores emeriti.

76. Einarus Ionae
77. Sigurdus Benedicti
78. Ketillus Ionae.
79. Ionas Thorarini.
80. Ionas Helgii.
81. Eggertus Saemundi
82. Iohannes Christiani
83. Thorsteinus Petri.

Habet itaque Holana Dioecesis Ministros 83. nimirum ordinarios 63. Subministros 12. Emeritos, 8. Templa 102.

Rectores scholarum sunt:

Skalholtinae:

Biarnius Ionae, Phil. Mag. Rector.
Paulus Iacobi, Conrector.
Discipuli 32.

Holanae.

Halfdanus Einari, Phil. Mag. Rect. (*)
Haltborus Hialmari, Conrector.
Discipuli 23.

(*) Praeter docti[illegible] *Sciagraphiam Historiae litterariae Islandiae* [illegible] 1777. luci publicae expositam, clari[illegible] [illegible] *Einari Speculum Regale* in lingu[illegible] transtulit, quae versio vna cum Specul[illegible] et Danica eius versione, Sorae Dan. 1768 edita est. *Editor.*